

dere, unde & de illis etiam idem probabiliter asserendum.

Aſſertio 1. illam reijciens.

202 Dico primò. Non videtur probabile quòd nomine Principum illi veniant, quos dum citatus Auctor enumerat. Id constat; quia sine vllò solido fundamento profertur. Et quidem Clemens V. Regum & Principum filios expressit, cum satis esset Principes nominasse. Paulus V. magnos Principes tantum excipiendos voluit. Quis autem dicat Titularem quemlibet aut vassallorum dominum esse Principem Regi similem, aut magnum Principem? Id quod de Senatu Regiorum Præsibus pariter est dicendum: contra omnem enim stylum est vt tales dicantur absolute Principes, & multò minùs magni Principes. Unde neque illi, qui titulo Principum specialiter præditi sunt, vt Melitenſis, Squillacenſis, Aſcultanus, & similes, in ordine ad priuilegium dictum eo possunt titulo se tueri: quia ratione illius non sunt maiores Titulatis alijs, immò neque pares plurimis, vt est notum. Licet ergo priuilegium fauorabiliter exponendum sit, & nomen non semper iuxta omnem proprietatem accipiendum, vt Doctores tradunt: id certè verum habet quando priuilegiu non est contra ius commune; vel si contra illud est, in fauorè religionis cedit, aut negotium pietatis importat, vt non semel dictum. Videatur Syluester n. 3. citato, ex còmuni doctrinà locutus: pro quo & n. 199. citatum Cap. Cum dilectus, adducit. Et vt stare aliquomodo possit fauorabilis interpretatio, etiam quando priuilegium est contra ius commune; id certè stabit, vbi mens legislatoris non est ex ipsius verbis comperta; quod tamen in præſenti accidit, vt ostendimus. Neque ex eo quòd priuilegium dictum circa Sacramenti susceptionem sit, per quod sic Religionis Christianæ professio, & erga Deum & Ecclesiam pietas exercetur, existimari debet causam religionis aut pietatis agi, quia non est circa substantiam ipsius Sacramenti, & in bonum animæ suscipientis, aut pro fide propagandâ: sed tantum est conuenientia quædam, & obseruantia Ecclesiæ erga Principes, quos vult eâ in functione alijs inferioribus anteferi, sicut & eidem incensationem fieri inter solemnia Missarum officia, & Euangeliorum librum osculandum deferri. Vnde Clemens V. in citato Decreto his vsus verbis: Nisi Regum, & Principum, quibus valet in hoc casu deferri. Quòd autem id ad eum concedatur finem, vt Christiani Princeps hac Ecclesiæ obseruantia magis erga eam afficiantur, & sic rem Christianam studiosè promouere pergant; valde quidem remotum est, vt vix aliquod erit priuilegium, quod eo modo non possit ad Religionem & pietatem reuocari.

Priuegiij verba quædam in sermone minus proprio accipi debeant.

Ad nepotes & quosdam alios inuero similem esse extensionem.

203 Quòd autem ad nepotes, & ad filios etiam naturales etiam debeat extendi prædicta concessio, inuerosimile prorsus apparet: licet enim aliquando nepotes nomine filiorum veniant, id quidem est quando in illis eadem extat concessionis ratio, ex cuius extensione inconueniens nullum sublequatur: quod tamen in præſenti non euenit: vt enim in filio singularitas illa feruetur, dignitas & splendor patris in causâ est: quæ tamen in nepote potest non esse talis, si videlicet pater valde imparis dignitatis ac

splendoris sit, vt in multis solet filijs accidere; quos dicimus *Secundones*, qui à priuatis alijs equitibus vix distant, & studijs aut militiæ à parentibus addicuntur. Ex quo obuium est inconueniens immoderatæ extensionis, vt nobilis quisque genus à Principibus se trahere dicat, & sic eius filios domi baptizandos, vnde Sacramenti tanti reuerentia minuatur. Quoad nepotes autem ex primogenitis diuersa est ratio, si & ipsi primogeniti sint; quia cum parentibus in dignitate innatâ & familiæ splendore respondeant, iam & ipsi Principes sunt, & Principum filij. Licet ergo demus omnes illos, circa quos contenditur, Principum nomine censeri, non sequitur eorum tales esse nepotes, qui debeant filiorum dicto priuilegio gaudere. Naturales autem filij, si eorum sint, de quibus Pontifices loquuntur, gaudebunt quidem: nec solum naturales, sed quicumque illi fuerint, quia circa illos dispositio Pontificia currit, cum verissimè Principum filij sint, & multoties Principes supremos superiorem non recognoscentes, soleant superare. De illis autem, de quibus id asseritur, inuerosimile prorsus apparet dixi, quia de legitimis parum asserui verosimile. Si autem illud admitatur, quod à prædicto Auctore profertur, naturales filij possunt ad concessionis participationem admitti, ex benignâ interpretatione, vt loquitur Syluester in Verb. *Filij*, num. 29. Pro quo adducit Cap. *Vnicum*, 35. q. 7. vbi de naturalibus verbum nullum. Et ita neque de benignâ interpretatione. Bastardi autem non ita: quia vt citato Capite habetur ex D. Augustino in *Questionibus super Leuiticum*, Cap. 77. de incestuosus congressibus loquente: vt quicumque ex eis nati fuerint, non reputentur filij, & nullo parentum iure succedant. Sic ibi. In filijs autem Regum, & supremorum Principum alia videtur esse ratio, vt iam diximus, quia illi possunt filijs gradum excellentiæ supra vassallos omnes conferre, quia suis quoad hoc legibus non tenentur: vnde sicut legitimare aliorum filios possunt, ita & suis excellentiam supra alios perhibere.

Pro quibus non legitimis admittatur.

Pro quibus & negatur. D. August.

Filios Indicorum Regulorum priuilegio dicto non gaudent.

Neque eorum Commendatariorum.

204 Dico secundò. Filijs Regulorum Indicorum nequit priuilegium dictum applicari. Constat ex dictis. Et quia licet illi supra alios emineant, vassalli tamen Regis sunt, & eorum domus, non palatia, sed indecora & inornata vt in plurimum ædificia sunt, minime opulentiorum ciuium ædificijs conferenda: & neque vulgari stylo illi vocantur Principes, licet eorum aliqui Regiã dicantur origine conulcare. Ex quibus liquet omni esse fundamento destitutum eorum, (si forte plures sunt) persuasionem qui Commendatariorum Indicorum filios posse præfato priuilegio frui, non sunt veriti pronuntiare. Hos enim Indicos esse dicendos Principes asserbant, respondentes Titulatis in Hispania, ne in regionibus istis illud dicatur ornamentum deesse; quod in regnis alijs constat abundare. Quo nihil videtur potuisse ineptius cogitari. Quis enim istos vnquam vocauit Principes, aut tales censuit, cum tamen Principum debeant esse filij priuilegio huiusmodi fructuari. Nec Vassallorum Domini dici possunt, sicut Titulati Hispani: quia licet Indi ipsi debeant tributa præstare, circa illos tamen nullum dominatiuæ ius potestatis exercent: quandoquidem neque tributum ipsum

recupe-

recuperare propriâ manu possunt, ad eorum quamuis defensionem teneantur: vnde neque Indi eorum possunt vassalli dici, sed solius Regis, & ita cum dominis vassallorum in Hispaniã ineptè componuntur. Quòd autem Principes in Indijs non sint, cautè dispositum, ne potentia, diuitijs, ac sublimi titulo gestientes, ad aliquid contra fidem Regi debitam turbulentum adspirent, aut conspirent, cui in remotis adeò partibus facile non fuerit obstistisse.

CAPVT IX.

De Priuilegijs circa Sacramentum Confirmationis.

Ministrum Confirmationis esse non Episcopum posse ex dispensatione Apostolica.

Concilium Floren.

Non esse de fide contra Mofesinum.

Sed valde errauerunt in hoc P. Martin.

Et Patrem Escobar.

Dispensatio Leonis X.

205 Circa hoc primò dubitari potest an exter priuilegium aliquod, virtute cuius possint aliqui non Episcopi Sacramentum huiusmodi ministrare. Et quod ad potestatem attinet, negari nequit quin hoc possit simpliciter Sacerdoti à Pontifice concedi: sic enim factum læpius. Vnde Mofesius *Tract. 4. Cap. 2. num. 27.* putat id esse de fide. In Concilio enim Florentino postquam ab Eugenio Quarto in Decreto fidei dictum fuisse Episcopum esse ministrum huius Sacramenti, sic habetur: *Legitur autem aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem Chriſmare per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Sic Concilium ad Diui Gregorij concessionem alludens, de quâ *Lib. 3. Regij. Epist. 26. & habetur in Cap. Peruenit 95. dist.* Sed certè aliter sentiendum; non inquam esse de fide, cum graues Scriptores contrarium sentiant, vt affirmat P. Suarez *Tomo 3. in 3. p. Disputat. 26. Sect. 2. s. Proprietat.* vbi alios adducit. Et alios P. Martinon *infra* citandus *num. 47.* Neque credendum est illos aperte contra fidei dogma censuisse. Vnde Scriptores, licet communiter vt certum proponant, non eum tamen certitudinis gradum, immò neque alium, cuius oppositum grauem mereatur censuram, in asseritione tali recognoscunt. Quamuis P. Martinon *Tomo 4. Disputat. 27. num. 50.* Sic pronuntiet: *dicere autem quòd tantus Pontifex, tantæ auctoritatis, sanctitatis, & doctrinæ, in re tamen graui errauerit, aut errandi periculo sese volens exposuerit, post definitiones Antecessorum, Eusebij, & Melchiadis, maxime cum illius factum à Concilio Florentino satis aperte, & à Tridentino tacite approbetur, temeritatis magna videtur esse.* Sic ille: qui approbationem tacitam Concilij Tridentini ex eo colligit, quia Concilium *Sessione 7. Can. 3.* definit Ministrum ordinariu Confirmationis esse Episcopum: quo non obscure significat Ministrum extraordinariu esse alium posse: quod etiam obseruat P. Suarez *suprà s. Rationes*, & alij Recentiores communiter. Temeritatem etiam oppositæ asseritionis agnoscit P. Escobar de Mendoza *Tomo 2. Problematum moralium. Lib. 12. num. 141.* Cardinalis Lugo in *Respon. mor. Lib. 1. Dub. 6. num. 2.* contra Rosilium Legionensem, qui veritatem esse de fide contendit. Nec iam factò D. Gregorij tantum insistendum: nam & Leo X.

in Bullâ, quæ incipit, *Alis felicis. Ann. 1521. die 25. Aprilis*, id aperte concessit Fratribus Minoribus in terris infidelium. Videndus Cardin. Lugo *suprà num. 6. &c.*

206 Præter hanc autem concessionem alias pro Indijs extare affirmat P. Quintana *Tomo 1. Tract. 2. Singulari 5.* vbi adducit Bullam Adriani Sexti, cuius verba dedimus *num. 194.* Cum enim concedat omnimodam auctoritatem Apostolicam quantam Euangelici ministri expedientem iudicauerint, ad Confirmationis Sacramentum concessio videtur extendi, quia illud pro Conuerſorum stabilendâ fide maxime est opportunum: vnde valde esse conueniens vt illius administratio alijs præter Episcopos committatur, censet Dom. Solorzano *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 18. num. 31. & seqq. & in Politica Lib. 4. Cap. 18. pag. 662. Col. 2.* Quia etiam Bulla Vrbanæ Octauæ pro Iaponia perſtat sub Dat. *Ann. 1633. die 22. Februarii* in quâ sic ille loquitur: *On vobis & singulis Christianis nunc in Iaponia existentibus, & pro tempore futuris, vt à quibusvis Sacerdotibus, vt supra à Generalibus eorum illis missis, ac mircendis, quorum copiam habere poterunt, Sacramenta (Ordinem tamen Episcopalem non requirentia) etiam Parochialia, durante præſente rerum statu, suscipere licite valeant, concedimus pariter & indulgemus.* Sic Pontifex: ex cuius concessionis amplitudine colligit idem Pater Quintana *Tomo 2. Tract. 6. Singulari 4. n. 8.* Religiosos posse Iaponiis Sacramentum Confirmationis ministrare, quia non requirit Ordinem Episcopalem; iuxta plures Doctores, quos ab alijs congestos ibidem allegat: cum alios contra sentire, se scire affirmet, ex quibus refert P. Suarium, Cardinalem Bellarminum, Barboſam, P. Layman, Acunnam, Torreblancam, & alios citatos à Dom. Solorzano *suprà.*

Ex Bullâ Adriani vs colligitur sequentibus P. Quintanam.

Et ex Bullâ Vrbanæ VIII. pro Iaponia.

In Auctorum allegationibus lapsus memoria in prædicto Auctore notatus.

207 Quòd quidem non video quomodo sine memoriæ lapsu dici poterit: nam Doctores citati non negant ex commissione Pontificis id stare posse; immò aperte id testantur, pro quo ab eodem *Tomo 1. Singulari illo 5. P. Suarius*, Cardinalis Bellarminus, & P. Layman fuerant allegati. Nec debuit citationi Dom. Solorzani aliam adhibere fidem, quàm ipsius verba, & eorum contextus eunt: citato enim *num. 31.* sic ait: *Et licet dicta Bulla non concedat his Missionarijs administrationem Sacramentorum, quæ Ordinem Episcopalem requirunt, quo in numero est Sacramentum Confirmationis, vt in Cap. Ieiunium, de Consecrat. dist. 3. & Tridentin. Sessione 7. de Confirmatione Can. 3. cum latè traditis à Suarez, &c. Post quæ sic subdit num. 32. Adhuc tamen ego censere in dictis expeditionibus ad Iaponios, & alios remotis, vbi Episcopi desunt, permittendum esse alicui ex Prælati ipsorum Religiosorum, vt hoc Sacramentum Neophytis bene in fide semel suscepta imbutis ministrari posse.* Addit in sequentibus Confirmationis fructus *num. 34.* docet à simplici Sacerdote ex delegatione Pontificis posse illam ministrari, pro quo plures laudat Auctores, & inter eos Cardinalem Bellarminum, Barboſam, & Acunnam, quos pro Asseritione priore retulerat, quòd scilicet Confirmatio Ordinem in Ministro Episcopalem requirit. Quòd ergo ille, & ab eo citati prius illâ asseritione contendunt, tantum est Confirmationem Ordinem Episcopalem requirere,

E E 4 quando

quando ab illius est ordinario administranda Ministro; non ita cum ex delegatione. Iuxta hunc ergo verborum sensum satis in isto Auctore perceptum, citati ab eo debuerunt Auctores intelligi, non in alio ab eorum mente prorsus abhorrente. Addit dictus Pater, licet sub dubio, numer. 5. concessionem dictam ad Indias Occidentales posse ratione communicationis privilegiorum extendi.

Affertio 1. Per Bullam Adriani non licere administrare Confirmationem.

Innocentius IV.

Communio facultatum pro Episcopis Indiae.

Affertio 2. Non item licere virtute concessionis Leonis X.

Vide tamen infra n. 385.

208 Dico primò. Virtute Bullae Adriani non licet Religiosis Sacramentum Confirmationis ministrare. Sic Cardinalis Lugo supra num. 5. Id probari potest primò. Quia ipse Adrianus censuit hoc fieri non posse, ut patet ex iis, quae docet in 4. in materia de Confirmatione Art. 3. Quomodo ergo concederet, quod concedi non posse suis scriptis consignat, & Orbi uniuerso reddiderat manifestum? Secundò. Quia in concessionibus huiusmodi, etiam amplissimis, ea quae Ordinem Episcopalem requirunt secundum ordinarium administrandi modum, non veniunt, nisi exprimantur. Pro quo est Bulla Innocentij Quarti, de qua n. 193. in qua post multa alia Evangelicis Praedicatoribus concessa sic habet: nec non alia facere, quae ad augmentum Domini nominis, & ampliationem Catholicae fidei, ac reprobationem & irritationem illorum, qui sacris traditionibus contradicunt: sicut pro loco & tempore videbitis expedire. Sic illa. Vbi tamen aras benedicere non permittit, sed solum vestes Sacerdotales, altaris pallas, & Corporalia, ubi Catholicorum Episcoporum copia non habetur. Vnde nec confirmationis ministratio debet concessa reputari. In concessionibus facultatum, quae Episcopis Indiarum eas à Romanà Sede petentibus, concedi solent s. 28. sic habetur: Praedictas facultates communicandi, non tamen illas, quae requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine sacrorum Oleorum usu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in eius diocesi laborabunt, & praesertim tempore sui obitus, ut Sede vacante sit, qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta: quod quamprimum fieri debebit, per Delegatos, vel per unum ex eis alio modo provideat: quibus Delegatis auctoritate Apostolica facultas conceditur, Sede vacante, in casu necessitatis, consecrandi Calices, Patenas, & Altaria portatilia sacris Oleis, ab Episcopo tamen benedictis. Sic Innocentius X. Archiepiscopo Limano, & eadem est talium concessionum vtitata formula. In qua satis luculenter apparet nolle Pontifices ut ea, quae Ordinem Episcopalem ordinariè requirunt, ab aliis, quam ab Episcopis conferantur, quae tamen Pontifices ipsi pro casibus necessitatis concedunt. Et cum Sede vacante manifestum sit necessitatem Confirmationis futuram, illius tamen administrationem minimè sunt concedendam arbitrati. Non ergo illa est Adriani concessio omnimoda comprehensa.

209 Dico secundò. Virtute concessionis Leonis X. non item licet quod virtute Bullae Adriani diximus non licere. Quod videtur manifestum: nam privilegium illud personale fuit, duobus scilicet Fratribus Minoribus, Joanni Clapion, & Francisco de Angelis concessum quatuorque aliis designandis aut deputandis ad eorum vitam, ut constat ex verbis illis: Vobis, & cuiuslibet vestrum, & ad vitam vestram à vobis qua-

tuor deputandis, vii, potiri, & gaudere, prout superius explicatur, liberi & licite valeatis, concedimus, & indulgemus. Sic Pontifex. Et ita concessionem hanc fuisse personalem notavit Fr. Emmanuel. Tomo 1. qq. regul. qu. 31. artic. 3. ut potè duobus tantum factam. Quòd autem etiam illis viuentibus non potuerit esse communis, ostendunt ea, quae habet Qu. 55. Artic. 18. in fine: non obstat concessio Iulij Secundi, & ipsius Leonis. Et huius declaratio videnda apud ipsum ibidem. s. Circa quam. Licet autem Pontifex in concessionibus suà ad aliorum Pontificum indulta referat, ex quibus apparet eos, aut eorum aliquem administrationem Confirmationis generalius concessisse: quia tamen de modo concessionis non constat, non est ad usum reuocanda. Et reuertè si perpetua talis concessio fuisset, sicut & aliorum, non fuisset opus Fratribus eam à Pontifice requisisse: neque Pontifex ipse tanta cum limitatione praebuisset, quam à tot Pontificibus sine limitatione tali factam cognoscebat. Vnde nec de talis facultatis usu notitia aliqua apud Auctores occurrit: & ad vitam tantum fuisse ibidem Pontifex attestatur.

Neque aliorum, ad quos se referunt Pontificum.

210 Dico tertio. Neque virtute Bullae Urbani licet Religiosis Confirmationem ministrare. Sic Dom. Solorzanus Cap. 18. citato num. 31. & probatur ex dictis Affertio. 1. Item. Quia ibi excipiuntur quae Ordinem Episcopalem requirunt: atqui per se loquendo, & iuxta modum loquendi Conciliorum & Pontificum, Confirmatio Ordinem Episcopalem requirit: ergo non debet comprehensa, sed excepta ceteri. Minor ostenditur ex Tridentino Sessio 23. Cap. 4. in quo sic dicitur: Proinde sacrosancta Synodus declarat praeter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem praecipue pertinere, & postros, sicut idem Apostolus ait (Act. 10. D.) à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre: ministros Ecclesiae ordinare: atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Haec Concilium: ex quibus apparet iuxta illud Confirmationis administrationem per se loquendo Ordinem Episcopalem requirere, & ita, cum absolute prohibentur ea, quae Ordinem talem requirunt, intelligi debere prohibitam. Pro quo & iam olim Eusebius Pontifex Epist. 3. ad Episcopos Iustiae, & habetur de Consecrat. dist. 5. Cap. 4. ita scribit: manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est: quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus &c.

Affertio 3. Neque virtute Bullae Urbani VIII.

Concilium Tridentinum.

Eusebius Papa.

Extensio ad Indias Occidentales sine fundamento afferri.

211 Quod de extensione dictae concessionis ad Indias Occidentales dicebatur, omni videtur fundamento carere: & ex citati Auctoris doctrinà aperte refellendum, qui Singulari illo 4. n. 9. iuxta concessionis tenorem, de quo supra n. 206. ait extensam in Iaponia persecutione non posse Regulares potiri huiusmodi facultate: quia tempore pro concessione privilegij finito privilegium euanescit: & privilegium concessum sub aliqua conditione, ea ommissa, vel ablata, etià illud expirat. Cum ergo in Indis Occidentalibus persecutio non sit, siue illa in Iaponia cessauerit, siue persistit, non est privilegium locus in illis. Si enim cessauerit, iam est

est ablata conditio, & privilegium pro Iaponia expiravit, ac consequenter extendi ad regiones alias sine temporis limitatione non potest. Si persistit; ea in Indis Occidentalibus non est: ergo nec privilegium pro illis suffragatur. Quòd si persecutio similis, aut ferè similis, aliquando occurrat, locus privilegio esse poterit, si circa Iaponios persecutio duret: ea enim cessante, cum etiam privilegium cesset, non potest, quod iam esse desit, persecutione noua suscitari. Quamquam non videatur inuerosimile noua persecutione subortà, privilegium vim habere, vt non quidem omnino pereat persecutione sublata, sed cesset, congruè interpretatione verbis illis adhibita: Durante praesenti rerum statu. Id est, hoc, aut simili, cuius eadem ratio sit: sic enim Pontifices loqui in Bullis suis solent: praesentibus ad tot annos valiturus. Cum tamen, etiam illa dispareant, similibus authenticè exemplatis sit plena fides adhibenda, & ita etiam sint illa valitura. Quia enim in causa religionis, & summe piè veritatem, talis potest extensio suscipi: si tamen extensio dicenda sit & non casus sub verborum contextu comprehensus: licet illa in omni suo rigore non exponatur, ita vt praesens status modernum tantummodo designet, vt solet verbum Praesens designare. Pro quo videndus P. Suarez Lib. 8. de legibus Cap. 28. num. 14.

Pro ampliatione aliqua concessionem afferunt.

Circa Balsamum Indicum quomodo sufficiat pro Confirmatione, & an ratio aliqua privilegij in illo.

Ecclesia quid circa materias Sacramentorum.

212 His ergo circa Ministerium stabilitis, an alia privilegia succurrant, restat ulterius inquirendum. Vnde Circa materiam, Christina inquam, dubitatur secundò quid per privilegia liceat, quia Paulus Tertius, & Pius Quartus, vt ex aliis Auctoribus referi. P. Suarez Tomo 3. in 3. p. Disput. 33. Sect. 1. s. Atque in hunc modum, declararunt balsamum Indicum ad Christina conficiendum sufficere: vnde & dubitari potest an talis declaratio rationem aliquam privilegij contineat, quod absolute aliqui affirmant apud P. Aegidium Cominck de Sacramentis. Qu. 72. numer. 42. & ita videtur sentire Emmanuel Rodericus Tomo 2. qq. regul., qu. 100. artic. 2. dum ait Pium Quartum hoc Indiarum Episcopis concessisse. Et potest quidem ita affirmari: nam vsque ad Indiarum detractionem solum balsamum Palaestinum in usu erat pro Christina conficiendo: & poterat Pontifex ad maiorem illius certitudinem praecipere vt illud, & non aliud, ad confectioem dictam numeretur: quando ergo vt Indicum sufficeret pro Indis declaravit, privilegium videtur concessisse. Non potuit autem Pontifex id, quod ex se sufficiens materia non erat, suo privilegio vt esset materia facere, quia circa materias Sacramentorum non est tanta in Ecclesia potestas: immò in eo est aperta contradictio: si enim designante Ecclesia materia aliquam, verè illa talis est: ergo & à Christo huiusmodi illi est potestas tradita, vt scilicet designare posset & ita iam à Christo talis est materia vt sufficiens designata, ac propterea nos est iam dicendum Ecclesiam posse Sacramentorum materias immutare, constitutare, variare. Quòd si à Christo nulla specialis designata materia est, vt circa materias Ordinum multi dicunt, tunc quidem designatio Ecclesiae nullam facit mutationem, neque sufficientem reddit eam, quae ex se erat insufficientis: nam

eo ipso quòd Christus optionem istam dedit, quamlibet materiam sufficientem reddidit, si designatio Ecclesiae accederet, vnde Ecclesia non sibi usurpat excellentiam potestatem. De quo dixi Tomo 2. Theologorum Problematum, circa Ordinis Sacramentum: & videri potest P. Aegidius Disput. 20. num. 65. & Diana Parte 10. Tract. 11. Resol. 65. vbi alios adducit.

Difficultas ex balsami Palaestini vsu ab exordio Ecclesiae.

213 Quia verò pro materia huius Sacramenti Christina est à Christo designata, secundum huius nominis significationem, iam pridem in Ecclesia receptam, vnde ab Ecclesia ipsius exordio balsamum est ad illius confectioem adhibitum; videtur de illo sicut de oleo philosophandum, quod quidem proprium oliuarum esse debet, quia sic ab exordio in usu fuit: vnde oleum diuersae speciei, qualia sunt plurima, non est apta materia huius Sacramenti, vt communiter docent Scriptores. Ex quo videtur idem de balsamo dicendum, & ex eo fieri Indicum non posse vt materiam sufficientem admitti: vnde circa hoc multum ante Pontificum declarationem grauiter dubitarunt, & locus etiam post illam dubio esse videtur, quomodo scilicet potuerint ita declarare: nam balsamum Indicum specie diuersum est à Palaestino, sicut & planta, ex quibus illud profuit, inter se diuersae sunt. Quòd si circa balsamum hoc licet, circa oleum idem pariter videtur asserendum.

Circa oleum quomodo esse variatio nequeat.

214 Ad quam difficultatem, quae leuis sane non est, respondeo circa oleum non posse ab Ecclesia variationem induci, quia pro materia illud designatum à Christo vsus ab ipso Ecclesiae exordio receptus, qualis esse deberet, declaravit: quatenus olei nomine absolute compellatur, quo nullum aliud fusi cum addito vocari potest. Oleum enim ab olea sic dictum, seu oliua: nulla autem arbor seu planta, ex quibus alia olei genera educi possunt; olea aut oliuae possunt compelli: & ita de oleo sic philosophandum sicut de aqua pro Baptismo, & pane ac vino pro Eucharistia. Quòd si contingat circa oleum esse speciem diuersitatem, dummodo absolute oleum oliuae sit, & communi vsui indifferenter adhibeatur, absque dubio dicendum est materiam sufficientem esse, sicut & in pane & vino: dummodo enim panis ex vero tritico sit, & vinum ex vera vite, sufficientes materiae sunt: id quod circa vinum adnotauit P. Aegidius supra numer. 41. de vine Rhenano, & Graeco, rubro & albo locutus. Per hoc ergo circa balsamum firmanda est resolutio. non enim Palaestinum, cuius in exordio Ecclesiae vsus, ita absolute tale est, vt nullum aliud inueniri possit, quod, & si specie distinctum, eodem non possit nomine simpliciter appellari. Neque credibile est ad vnum genus in Palaestina tantum proueniens voluisse Christum materiam Sacramenti huius aritari, quod toti mundo futurum vtilissimum destinabat. Quia ergo balsamum illud tale apparet, vt absolute dici tale possit, ob odorem, & conformes effectus; & non adulterium; vt illud vocat P. Amicus Tomo 7. Disputat. 13. numer. 38. contra quem P. Meratius Tract. de Confirmat. Disputat. 2. Sect. 3. num. 7. & P. Lessius quest. 72. num. 12. ad materiam Confirmationis sufficere merito est à Sede Apostolica iudicatum. Vnde non est dicendum, vt affirmant

Vinum esse diuersae speciei possit & materiae pro Eucharistia sufficientem, sicut & triticum. Ex quo pro balsamo resolutio.